ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: HRABANUS MAURUS. TURGOTUS DUNELMENSIS. PS. ORIGENES. HERIGERUS LOBIENSIS. RATRAMNUS CORBIENSIS. IOHANNES CASSIANUS

12. Jh. Seite 37r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36524
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



uix in cenobiis inuenimus. Non ergo ruinam illius supradic-
ti fratris. qui in illa heremo tam lugubri lapsus est casu. neque
illam horribilem maculam. quam tamen ille ingentibus pe-
nitentie lacrimis post diluit. sed beati potius pasnutii nobis
proponamus exempla. nec subuersione illius destruamur. cuius
antiquum inuidie uitium. et iam auxit in peius affectata reli-
gio. sed huius humilitatem tota uirtute sectemur. quam non illi
quies heremi subito genuit. sed inter homines adquisita
consummauit. atque excoluit solitudo. XVII.

SCIENDUM. SANE. EST. INUIDIE. MORBUM.
difficilius ad medelam quam cetera uitia peruenire. nam eum
quem semel ueneni sui peste corruperit. pene ut ita dixe-
rim carere remedio facit. Ipsa namque est lues. de qua fi-
guraliter dicitur per prophetam. Ecce ego mittam uobis serpen-
tes regulos. quibus non est incantatio. et mordebunt
uos. Recte ergo apphia mortiferis basilisci uenenis. mor-
sus inuidie comparatur. qua prius ille omnium uenenorum
auctor. et princeps et periit et peremit. nam ante sui
quam eius cui inuiderat exstitit interemptor. Priusquam
in homine mortis uirus infunderet. ipse se perdidit. In-
uidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem
eum qui sunt ex parte eius. Sicut enim ille qui primus eiusdem
mali peste corruptus est. nec medela penitentie nec fomentum
ullius curationis admisit. ita et hi qui hisdem se percipien-
dos morsibus tradiderunt. omnem opem sancti incantatoris ex-
cludunt. quia cum utique non culpa eorum quibus ~~libent~~ inuident sed pro-
speritate crucientur. erubescentes ipsam prodere ueritatem.
extrinsecus sibi quasdam superfluas et ineptas causas of-
fensionis inquirunt. Quorum quia omnimodis false sunt.
uana curatio est. cum illud mortiferum uirus qui non uult
prodere lateat in medullis. De quibus alibi ille sapientis-
simus competenter expressit. Si momorderit serpens non